



O. Langenstein.

U
Deb.



PARVUS

CATECHISMUS

PRO

PUERIS IN SCHOLIS.]

PER

D. MARTINUM

LUTHERUM.



ABOÆ,

Excudebat JOHANNES Winter /
Typ. Reg. Finland. A. 1704.

JOHANNES SAUROMANNUS
HERMANNO CROTO

RUBIANO.

S. D,

Nemo non est in ea sententia, consultissimum esse, Pueros statim ab ineunte aetate, Christianae pietatis principia, sedulo ac diligenter imbibere. Quodcum est nullius hominis scriptis quam D. MART. LUTH. omnium huius aetatis Theologorum principis, commodius fieri posse existimarem, utcumq; donavi Latinitate ejusdem Viri Libellum, quem parvum Catechismum vocant, in hoc, ut pueris meis, qui jam haec rudimenta Germanicè noverant, eadem latinè quoq; discenda proponerem. Et quia hic libellus, humanissime Hermanne, ipsius Auctoris consilio ac jussu in publicum emittendus erat, eum tibi dicare placuit, ut pro singulari tuo erga me amore, qualemcumq; tandem grati animi significationem ostenderem. Et bona spes habet me, fore ut hanc n. eam operam pro tua humanitate, equi boniq; consulturus sis. Vale feliciter. 3. Calend. Octobr.

Anno 1719
Die 3. Decembri



A B C D
 E F G H
 I K L M
 N O P Q

R S T U V W X Y Z.

A a b c d e f f f g b i k l l m n o p q r s s s t u v w x y z

A a b c d e f f f g h i k l m n o p q r s s s t u v x y z.

Vocales.

a e i o u.

Diphthongi.

Sic scribuntur
 a
 œ
 au
 eu
 ei

Sic leguntur
 e
 e
 au
 eu
 i

CON.

Hen. Sumelius 1709

CONSONANTES.

b c d f g h k l m n p q r s t x z.

Sequuntur syllabæ.

Consonantes Vocalibus antepositæ.

Ba	Be	Bi	Bo	Bu
Ca	Ce	Ci	Co	Cu
Cha	che	chi	cho	chu
Da	de	di	do	du
Fa	fe	fi	fo	fu
Ga	ge	gi	go	gu
La	le	li	lo	lu
Ma	me	mi	mo	mu
Na	ne	ni	no	nu
Ra	re	ri	ro	ru

Vocales præpositæ Consonantibus.

Ab	eb	ib	ob	ub
Ac	ec	ic	oc	uc
Ad	ed	id	od	ud
Af	ef	if	of	uf
Ag	eg	ig	og	ug
Al	el	il	ol	ul
Am	em	im	om	um

Vocales inter duas Consonantes.

Bab	beb	bib	bob	bub
Bac	bec	bic	boc	buc
Bad	bed	bid	bod	bud
				Bal

Bal	bel	bil	bol	bul
Bag	beg	big	bog	bug

Due Consonantes ante Vocales.

Bda	bde	bdi	bdo	bdu
Bla	ble	bli	blo	blu
Bra	bre	bri	bro	bru
Cla	cle	cli	clo	clu
Cma	cme	cmi	cmo	cmu
Cna	cne	cni	cno	cnu

Tres Consonantes Vocalibus Præpositæ.

Scla	stle	stli	stlo	stlu
Stra	stre	stri	stro	stru

Consonantes Vocalibus postpositæ.

Abs	abs	ibs	obs	ubs
Alx	elx	ilx	olx	ulx
Anc	enc	inc	onc	unc
Ans	ens	ins	ons	uns
Arx	erx	irx	orx	urx

PRÆCIPUA CAPITA CHRIS-
TIANÆ DOCTRINÆ,

sine explicatione.

DECEM PRÆCEPTA.

Primum.

Non habebis DEos alie-
nos coram me.

Non assumes Nomen Do-
mini Dei tui in vanum; Non
enim habebit in fontem Do-
minus eum, qui assumerit
nomen eius in vanum.

Tertium.

Memento ut diem Sabbati
sanctifices.

Quartum.

Honora Patrem tuum &
Matrem tuam, ut sis longæ-
vus super terram.

Quintum.

Non occides.

Sextum.

Non moechaberis.

Septimum.

Non furtum facies.

Octavum.

Non loqueris contra proximum tuum falsum testimonium.

Nonum.

Non concupisces domum proximi tui.

Decimum.

Nec desiderabis uxorem ejus, non servum, non ancillam, non bovem, non asinum, nec omnia quæ illius sunt.

*De his præceptis omnibus sic dicit Deus
Exodi vigesimo.*

Ego Dominus DEUS
tuus, sum fortis zelotes,
visitans iniquitatem patrum
in filios, in tertiam & quar-
tam generationem eorum,
qui oderunt me. Et faci-
ens misericordiam in millia,
his qui diligunt me, & cu-
stodiunt præcepta mea.

SYMBOLUM APOSTOLICUM.

CREDO in DEum patrem omnipotentem,
creatorem cœli & terre. Et in JESum
Christum Filium ejus unicum Dominum
nostrum. Qui conceptus est de Spiritu san-
cto, Natus ex Maria Virgine. Passus sub
Pontio Pilato, crucifixus, mortuus & se-
pultus, Descendit ad inferna. Tertia die
resurrexit à mortuis, Ascendit ad cœlos,
Sedet

Sedet ad dextram DEI Patris omnipotentis;
Inde venturus est judicare vivos & mortuos.

Credo in Spiritum Sanctum, Sanctam
Ecclesiam Catholicam: Sanctorum commu-
nionem: Remissionem peccatorum, Carnis
resurrectionem & vitam æternam, Amen.

ORATIO DOMINICA.

PATER noster, qui es in coelis, Sanctifi-
cetur nomen tuum, Adveniat regnum
tuum. Fiat voluntas tua. Sicut in coelo, sic
& in terra. Panem nostrum quotidianum
da nobis hodie. Et remitte nobis debita
nostra, sicut & nos remittimus debitoribus
nostris. Et ne inducas nos in tentationem:
sed libera nos à malo. Quia tuum est re-
gnum, & potentia, & gloria, in secula se-
culorum, Amen.

DE SACRAMENTO BAPTISMI.

Matthæi ultimo.

Euntes docete omnes gentes. Baptizan-
tes eos in nomine Patris, & Filij, & Spi-
ritus sancti.

Et Marci ultimo.

Qui crediderit & baptizatus fuerit, salvus
erit, qui vero non crediderit, condemnabitur.

DE SACRAMENTO ALTARIS.

DOMINUS noster JESUS CHRISTUS, in ea nocte, qua traditus est, accipit panem, & postquam gratias egisset, fregit & dedit discipulis suis, dicens: Accipite, comedite, hoc est corpus meum, quod pro vobis datur: Hoc facite in mei commemorationem.

Similiter & postquam coenavit, accepit calicem, & cum gratias egisset, dedit illis, dicens: Bibite ex hoc omnes, Hic calix novum Testamentum est in meo sanguine, qui pro vobis & multis affunditur, in remissionem peccatorum. Hoc facite quotiescunque biberitis in mei commemorationem.

*DE POTESTATE CLAVIUM
REGNI COELORUM,*

Job. 20.

Sicut misit me PATER, ita & ego mitto vos. Accipite Spiritum sanctum. Quorumcunque remiseritis peccata, remittuntur eis, Quorumcunque retinueritis retinentur eis,

Quo

Quo pacto Pædagogus suos Pueros

Decem Præcepta simplicissime

docere debeant.

I.

Non habebis Deos alienos coram me!

Quid hoc sibi vult? Responſio.

Debemus DEUM supra omnia timere, diligere, ac illi confidere.

II.

Non assumes Nomen Domini Dei tui in vanum: Non enim habebit Infonem Dominus eum qui aſſumſerit nomen ejus in vanum.

Quid hoc sibi vult? Responſio.

Debemus DEUM timere & diligere, ne per nomen ejus maledicamus, juremus, incantemus, mentiamur, aut dolis fallamus: Sed in omni neceſſitate illud invocemus, adoremus, & cum gratiarum actione laudemus.

III.

Memento ut diem Sabbati ſanctifices:

Quid hoc sibi vult? Responſio.

Debemus DEUM timere & diligere, ne divinos ſermones & ejus verbum contempnamus: Sed ut ſanctum reputemus, libenter audiamus & diſcamus.

Honora Patrem tuum & Matrem tuam, ut sis longævus super terram.

Quid hoc sibi vult? Responsio.

Debemus DEUM timere & diligere, ne parentes & dominos nostros contemnamus, neque ad iram commoveamus: Sed honore afficiamus, illis serviamus, morem geramus, amore eos prosequamur & magni faciamus.

V.

Non occides.

Quid hoc sibi vult? Responsio.

Debemus DEUM timere & diligere, ne vitæ proximi nostri incommademus aut agrè faciamus: Sed illum adjuvemus & promoveamus, in omnibus vitæ & corporis necessitatibus & periculis.

VI.

Non mœchaberis,

Quid hoc sibi vult? Responsio.

Debemus Deum timere & diligere, ut caste & pudice vivamus, in verbis ac operibus, & unusquisque suam conjugem amet & honoret.

VII.

Non furtum facies.

Debe-

Quid hoc sibi vult? Responsio.

Debemus Deum timere & diligere, ne proximo suam pecuniam, aut bona sua auferamus, neq; falsis mercibus aut impostura ad nos pertrahamus. Sed demus operam, ut illius opes conservantur, & ejus conditio melior reddatur.

VIII.

Non loqueris contra proximum tuum falsum testimonium.

Quid hoc sibi vult? Responsio.

Debemus Deum timere & diligere, ne proximum falsis mendaciis involvamus, prodamus, traducamus, aut infamia aliqua afficiamus: Sed illum excusemus, benè de eo sentiamus & loquamur, omnia in meliorem partem interpretantes.

IX.

Non concupisces domum proximi tui.

Quid hoc sibi vult? Responsio.

Dabemus Deum timere & diligere, ne hæreditatem vel domum proximi dolo malo captemus, & sub specie juris & recti nostris facultatibus adjungamus. Sed potius eum juvemus ut suas fortunas retineat integras.

Nec desiderabis Uxorem ejus, non servum, non ancillam, non bovem, non asinum, nec omnia quæ illius sunt.

Quid hoc sibi vult? Responsio.

Debemus Deum timere & diligere, ne à proximo uxorem, servos, ancillas, vel pecudes suas abalienemus aut abstrahamus: Sed illos adhorremur & urgeamus ut maneamus, & suum officium diligenter faciant.

Quid autem summatim dicit Deus de his præceptis omnibus? Resp.

Sic dicit Exodi 20.

Ego Dominus DEUS tuus, sum fortis zelotes, visitans iniquitatem Patrum in filios, in tertiam & quartam generationem eorum, qui oderunt me: Et faciens misericordiam in multa millia, his qui diligunt me, & custodiunt præcepta mea.

Quid hoc sibi vult? Responsio.

DEUS minatur pœnam omnibus, qui ista præcepta transgrediuntur. Debemus itaq; expavescere, & timere iram DEI, & nihil contra hujusmodi præcepta facere: Rursum promittit etiam suam gratiam, & omnia bona, omnibus qui ista mandata observant. Merito igitur debemus nos DEUM diligere, & illi confidere,

& juxta mandata ejus omnem nostram vitam
sedulo & diligenter instituerem.

QUO PACTO PÆDAGOGI SU-
OS PUEROS SYMBOLUM APO-
stolicum simplicissime docere debeant.

ARTICULUS PRIMUS.
DE CREATIONE.

Credo in DEUM Patrem omnipoten-
tem, Creatorem cœli & terræ.

Quid hoc sibi vult? Responsio.

Credo quod DEUS creavit me, una cum o-
mnibus creaturis. Quod corpus & animam,
oculos, aures, & omnia membra, rationem
& omnes sensus mihi dederit, & adhuc susten-
tat: Ad hæc quod vestes & calceos, cibum &
potum, domum, uxorem, liberos, agros, ju-
menta, & omnia bona cum omnibus vitæ ne-
cessariis, copiose & quotidie largitur: Me
contra omnia pericula protegit, & ab omni-
bus malis liberat & custodit. Et hæc omnia ex
mera sua paterna & Divina bonitate & mise-
ricordia, sine ullis meis meritis aut ulla di-
gnitate, pro quibus illi gratias agere, pleno o-
re laudem tribuere, inservire, obsequi, meri-
to debeo. Hoc certissimè verum est.

ARTICULUS SECUNDUS.

De Redemptione.

Et in IESUM Christum filium ejus unicum Dominum nostrum: Qui conceptus est de Spiritu Sancto, natus ex Mariâ virgine: Passus sub Pontio Pilato, crucifixus, mortuus & sepultus: Descendit ad inferna: Tertia die resurrexit à mortuis: Ascendit ad cœlos: Sedet ad dextram DEI Patris omnipotentis: Inde venturus est judicare vivos & mortuos.

Quid hoc sibi vult? Responsio.

Credo quod IESUS Christus verus DEUS à Patre ante secula genitus, idemque verus homo, natus ex Maria virgine, sit meus Dominus, qui me perditum & damnatum hominem redemit, & ab omnibus peccatis, à morte, à potestate satanæ liberavit: Non quidem auro & argento, sed suo sancto & precioso sanguine, suâque immeritâ passione & morte, ut ego essem propriè suus & in suo regno sub ipso viverem, ac liberaliter servirem in perpetuâ justitiâ, innocentia, & beatitudine, perinde ac ipse à morte resurrexit, vivit & regnat in æternum. Hoc certissimè verum est.

ARTICULUS TERTIUS.

De Sanctificatione.

Credo in Spiritum Sanctum: Sanctam Ecclesiam Catholicam: Sanctorum communionem: Remissionem peccatorum: Carnis resurrectionem: Et vitam æternam, Amen.

Quid hoc sibi vult? Responsio.

Credo me propriis rationis meæ viribus JESU Christo Domino meo fidere, aut ad eum accedere & pervenire nullo modo posse. Sed Spiritus Sanctus per Evangelium me vocavit, suis donis illuminavit, in rectâ fide sanctificavit & conservavit. Quemadmodum solet totam Ecclesiam in terra vocare, congregare, illuminare, sanctificare, & in JESU Christo per veram & unicam fidem conservare: In quâ Ecclesia mihi & omnibus Christianis, omnia peccata quotidie benignè remittit, & nos omnes in extremo die à morte suscitabit, ac mihi & omnibus in Christum credentibus vitam æternam dabit. Hoc certissimè verum est.

QUO PACTO PÆDAGOGI
SUOS PUEROS ORATIONEM

Dominicam simplicissimè docere

debeant.

Pater

Pater noster qui es in cœlis.

Quid hoc sibi vult? Responsio.

DEUS amanter nos hac præstiuuculâ invitât, ut vere credamus eum nostrum verum Patrem, nosque ejus veros filios esse, ut eo confidentius plena fiducia eum invocemus. Quemadmodum videmus liberos certâ fiduciâ aliquid à parentibus suis petere.

Prima petitio.

Sanctificetur nomen tuum.

Quid hoc sibi vult? Responsio.

Nomen DEI per se quidem sanctum est, verum nos oramus hac petitione, ut apud nos quoq; sanctificetur.

Quâ ratione sit istud? Responsio.

Cum verbum DEI pure & sincerè docetur, & nos secundum illud, ut filios DEI decet, piè vivamus. Quod ut fiat dona nobis mi Pater, qui es in cœlis. Qui verò aliter docet vel vivit, quam verbum DEI docet, ille nomen DEI inter nos profanat. Ne autem hoc accidat, tu prohibe mi Pater cœlestis.

Secunda petitio.

Adveniat regnum tuum.

Quid hoc sibi vult? Responsio.

Regnum DEI venit etiam per se, sine no-

stra

stra oratione , sed petimus hac precatione , ut
ad nos quoque perveniat .

Quâ ratione fit istud? Responsio.

Cum Pater cœlestis dat nobis suum sanctū
Spiritus , qui efficit gratia sua , ut sancto ejus
verbo credamus , ac piè vivamus , cum hoc
tempore , tum postea in æternum .

Tertia petitio.

Fiat voluntas tua , sicut in Cœlo sic
& in terra .

Quid hoc sibi vult? Responsio.

Bona ac misericors DEI voluntas fit quoq̄;
sine nostra oratione , sed rogamus hac petiti-
one , ut etiam fiat apud nos in cordibus
nostris .

Quâ ratione fit istud? Responsio.

Cum DEUS frangit atq̄; impedit omne ma-
lum consilium , voluntatem & conatus , qui
obstant , quo minus nomen DEI sanctifice-
mus , regnumque ejus ad nos pervenire possit ,
ut est diaboli , mundi & carnis nostræ volun-
tas . Deinde cum confortat & conservat nos
firmiter in suo verbo & fide , usquè ad finem
vitæ nostræ . Hæc est misericors ac bona ipsi-
us voluntas .

QUAR-

Quarta petitio.

Panem nostrum quotidianum da nobis hodie.

Quid hoc sibi vult? Responsio.

DEUS dat quidem omnibus panem quotidianum, quamvis non petamus, etiam malis hominibus: at nos precamur hac petitione, ut cognoscamus hoc beneficium, atque ita panem nostrum quotidianum cum gratiarum actione accipiamus.

Quid autem significat panis quotidianus?

Responsio.

Significat omne, quod ad vitæ nostræ necessitatem ac sustentationem pertinet; veluti cibum, potum, vestes, calceos, domum, arcam, agros, pecudes, pecuniam, divitias, probam conjugem, probos liberos, probos servos, probum ac fidum Magistratum, bonum Reipublicæ statum, commodam aëris temperiem, pacem, sanitatem, modestiam & honorem, bonos amicos, fidos vicinos & id genus alia.

Quinta petitio.

Et dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris.

Quid hoc sibi vult? Responsio.

Petimus hæc precatione, ne Pater cœlestis velit respicere & examinare peccata nostra, & propter ista nostram orationem repudiare: Quandoquidem nullis rebus quas petimus, digni sumus, nec quicquam mereri possumus. Sed ut velit nobis suâ gratiâ largiri omnia: Quia quotidie multifariam peccamus, & nihil nisi pœnas meremur. Ita & nos vicissim ex corde condonabimus iis, à quibus in nos peccatum est, illisque libenter beneficiemus.

Sexta petitio.

Et ne nos inducas in tentationem.

Quid hoc sibi vult? Responsio.

Deus quidem neminem tentat: Sed tamen petimus hac petitione, ut ipse nos custodiat & conservet, ne Satanas, mundus & caro nostra nobis imponant, & nos à recta fide ad superstitionem, desperationem, atque alia gravia scelera & flagitia seducant. Et ut maximè ejusmodi tentationibus sollicitemur, ne succumbamus, sed ut tandem vincamus ac triumphemus.

Septima petitio.

Sed libera nos à malo.

Quid hoc sibi vult? Responsio.

Oramus hæc precatione, tanquam summa-

tim ut Pater noster qui in caelo est, liberet nos ab omnibus malis ac periculis, corporis & animæ, bonorum & honorum. Et ut tandem, cum hora mortis venerit, felicem vitæ exitum largiatur, nosque pro sua gratuita bonitate, ex hac miseriarum valle, ad se in cœlum recipiat.

AMEN.

Quid hoc sibi vult? Responſio.

Ut ego ſim certus, ejuſmodi petitiones à Patre noſtro cœleſti eſſe acceptas atque exauditas. Quia ipſe nobis mandavit, ut ad iſtum modum oremus, promiſitque ſe nos exauditurum eſſe: Amen, Amen, id quod ſignificat, certe, certe, hæc debent ita evenire.

QUO PACTO PÆDAGOGI
SUOS PUEROS SACRAMEN-
TUM Baptiſmi ſimplyſſimè do-
cere debeant.

PRIMUM.

Quid eſt Baptiſmus? Reſponſio.

Baptiſmus non eſt ſimplyſſiter aqua ſed quæ ſit Divino mandato incluſa, & verbo DEI comprehenſa.

Quid eſt igitur tale verbum Dei? Reſp.

Dominus noſter JESUS Chriſtus dicit,
Matthæi ultimo, Eun-

Euntes docete omnes gentes, Ba-
ptizantes eos in nomine Patris, & Fi-
lij, & Spiritus Sancti.

SECUNDUM.

Quid præstat aut confert Baptismus? Resp.

Operatur condonationem peccatorum.
liberat à morte, & à Diabolo, donat æternam
beatitudinem omnibus & singulis, qui cre-
dunt hoc, quod verba & promissiones di-
vinæ pollicentur.

*Quæ sunt illa Verba & promissiones
divinæ? Responsio.*

Ubi Dominus noster JESUS Christus di-
cit Marci ultimo.

Qui crediderit & baptizatus fuerit, salvus
erit, qui vero non crediderit, condemnabitur.

TERTIUM.

*Quæ potest autem aqua tam magnas res
efficere? Responsio.*

Aqua procul dubio, tantas res non effi-
cit, sed verbum Dei juxta aquam & una cum
aqua & fides, quæ tali verbo Dei in aqua
credit. Quia aqua sine verbo Dei est simplici-
ter aqua & non Baptismus, Sed si verbum
Dei adjicitur, est Baptismus, hoc est, Sa-
lutaris aqua gratiæ & vitæ & lavacrum re-

generationis in Spiritu Sancto, sicut Paulus ait ad Titum 3.

Sed secundum suam misericordiam salvos nos fecit per lavacrum regenerationis ac renovationis Spiritus Sancti, quem effudit in nos opulenter per IESUM Christum Servatorem nostrum: ut justificati illius gratia, hæredes efficeremur, juxta spem vitæ æternæ. Indubitatus sermo.

QUARTUM.

Quid significat autem ista in aquam immersio? Responsio.

Significat quod vetus Adam, qui adhuc in nobis est, debeat subinde per mortificationem ac pœnitentiam, in nobis submergi & extingui una cum omnibus peccatis & malis Concupiscentiis, atquè rursum quotidie emergere, ac resurgere novus homo, qui in sanctitate & justitia coram Deo vivat in æternum.

Ubi hoc Scriptum? Responsio.

Sanctus Paulus ad Romanos sexto dicit. Sepulti igitur sumus unâ cum Christo per Baptismum in mortem, ut quemadmodum excitatus est Christus ex mortuis, per gloriam patris, ita & nos in novitate vitæ ambulemus?

QUO

QUO PACTO PÆDAGOGI
SUOS PUEROS BREVEM CON-
fitendi rationem simplicissimè
docere debeant.

Reverende & chare Domine, ego te per
Deum oro, da mihi ad animæ meæ conso-
lationem fidele consilium.

Quidnam consilij expetis? Responsio.

Ego miser homo, confiteor & conque-
ror tibi coram Deo Domino meo, quod
sim multorum peccatorum reus, adeo nul-
lis non iniquitatibus obnoxius. Mandata
Dei non servo, Evangelicæ doctrinæ non
verè credo, nihil boni facio. Mala & ad-
versa non patienter fero. Præcipuè autem
perpetravi, hoc vel illud quod conscientiam
meam gravat. Qua propter quaeso, dic mi-
hi loco Dei, peccatorum meorum solutio-
nem & consolare me verbo Dei.

ALIA confitendi forma.

Ego liberè confitendo tanquam miser pec-
cator, accuso me coram Deo & apud te quod
omnis peccati & incredulitatis & blasphem-
iæ DEI plenus sim. Sentio enim verbum
Dei nullum in me facere fructum: Illud
quod sæpè audio, sed ex corde & serio non
amplector. Deinde charitatis officia erga

proximum non exerceo, irascor & invideo illi, prosequens ipsum odio. Sum impatiens, avarus & ad omne malum propensus. Quamobrem cor meum & conscientia mea valde gravata sunt, libenterque ab ejusmodi peccatis liberarer. Obsecro, ut velis parvam fidem meam & conscientiam, per verbum Dei atque promissionem consolari & erigere.

ALIA.

Ex ordinatione Ecclesiarum Pomeraniae.

Reverende & chare Domine, ego te per Deum oro, ut meam confessionem audire, mihi que peccatorum meorum remissionem annunciare digneris.

DIC

Ego miser peccator confiteor coram DEO & te, quod contra omnia praecepta DEI, cogitationibus, verbis & etiam operibus multipliciter peccaverim! Quodque natura in peccatis conceptus ac corruptus, sub ira DEI aeternae mortis reus sim. Quam ob rem cor meum angitur, & doleo quod Deum Dominum meum ad iram commoverim, eumque toto pectore oro, ut mihi omnia peccata propter dilectum filium suum Dominum nostrum IESUM Christum gratis condona.

donare, & cor meum Spiritu tuo
cto renovare velit: Quemadmodum divino
ejus verbo credo atque confido. Quando-
quidem ergo à Christo iplo mandatum ha-
bes remittendi peccata pœnitentiam agen-
tibus; itaque per Christum ego te rogo, ut
me verbo Dei erigere ac consolari, & in
nomine Jesu Christi remissionem peccato-
rum mihi annunciare, ejusque corpus &
sanguinem in Sacramento ad fidei meæ con-
firmationem porrigere digueris. Ego polli-
ceor me, adjuvante Deo, vitam in melius
emendaturum esse.

Cur vis Sacramentum Altaris sumere? Resp.

Propterea quod volo animam meam, ex
æquo DEI verbo signoque confirmare, & ita
peccatorum meorum gratiam consequi.

*Tu tamen in confessione consequeris remissionem
peccatorum? Responsio.*

Quid tum postea. Ego volo etiam Sacra-
mentum, nobis à Christo tanquam signum
gratiæ relictum, simul cum verbo sumere,
atque ita verbum Dei subindè accipere.
Quo enim sapius eò melius.

**QUO PACTO PÆDAGOGI
SUOS PUEROS SACRAMEN-
tum Altaris simplicissimè docere
debeant**

Quid

Quid est Sacramentum Altaris? Responsio.

Sacramentum Altaris, est verum corpus & verus sanguis Domini nostri Jesu Christi, sub pane & vino, nobis Christianis ad manducandum & bibendum, ab ipso Christo institutum.

Ubi hoc scriptum est? Responsio.

Sic scribunt sancti Evangelistæ, Matthæus, Marcus, Lucas & sanctus Paulus.

Dominus noster Jesus Christus, in ea nocte, qua traditus est accepit panem, & postquam gratias egisset, fregit & dedit discipulis suis, dicens: Accipite comedite. Hoc est corpus meum, quod pro vobis datur. Hoc facite in mei commemorationem,

Similiter & postquam coenavit, accepit calicem, & cum gratias egisset, dedit illis dicens: bibite ex hoc omnes. Hic calix novum Testamentum est in meo sanguine, qui pro vobis & multis effunditur in remissionem peccatorum. Hoc facite quotiescunque biberitis in mei commemorationem.

Quid vero prodest sic comedisse & bibisse?

Responsio.

Id indicant nobis hæc verba: Pro vobis datur & effunditur in remissionem peccatorum; Nempe quod nobis in hoc Sacramen-

to condonatio peccatorum vita & iustitia
per hoc verba tribuantur. Ubi enim remissio
peccatorum est, ibi est & vita & iustitia.

*Qui potest corporalis manducatio tam magnum
quid efficere? Responso.*

Manducare ac bibere equidem non effi-
ciunt id, sed illa verba quæ hic stant: PRO
VOBIS datur & effunditur in remissionem
peccatorum. Quæ verba sunt circa corpo-
ralem hujus cibi ac potus participationem, tan-
quã caput & summa in Sacramento. Et qui fi-
dit his verbis, ille habet quod dicunt ac so-
nant: Nempe remissionem peccatorum.

Quis autem utitur hoc Sacramento digne?

Responso.

Jejunare & corpus suum præparare, est qui-
dem bona & externa disciplina. At ille est ve-
rè dignus ac probè paratus, qui habet fidem
in hæc verba: PRO VOBIS datur & effundi-
tur, in remissionem peccatorum. Qui vero his
verbis non credit aut de illis dubitat, ille est
indignus ac imparatus. Quia hoc verbum,
PRO VOBIS, requirit omnino corda cre-
dentia.

QUO PACTO PÆDAGOGI

suos pueros potestatem clavium regni
cælorum simplicissimè docere

debeant.

PRI.

PRIMUM.

Quid sunt claves regni cœlorum? Resp.

Claves regni cœlorum sunt potestas, quam Dominus noster JESUS CHRISTUS super terram in Evangelio instituit, poenitentibus peccatoribus peccata solvendi, impoenitentibus peccatoribus peccata ligandi, ut verba Christi sonant.

Quae sunt illa verba Christi? Resp.

Ubi Dominus noster JESUS CHRISTUS dicit, Johannis vigesimo.

Sicut misit me Pater, ita & ego mitto vos, accipite Spiritum Sanctum. Quorumcunque remiseritis peccata, remittuntur eis; Et quorumcunq; retinueritis, retenta sunt.

SECUNDUM.

Quid conferunt claves, aut ad quid pro sunt? Responsio.

Id indicant hæc verba: Quorumcunq; remiseritis peccata, remittuntur eis: Nempè quod credentibus remissio peccatorum, in nomine JESU CHRISTI, ejus morte & sanguine acquisita applicetur, ut fides confirmetur & conscientia certa ac tranquilla reddatur. Fidem enim comitatur pax in corde, postquam peccata remissa sint.

TERTIUM.

Quomodo potest homo peccata remittere?

Responſio.

Homo id ſane non facit, ut homo per ſeſe, ſed ratione officii mandato Chriſti; ut hæc verba ſonant: Quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis. Accipite Spiritum Sanctum. Quemadmodum enim Filius hominis habet poteſtatem in terris remittendi peccata, ſic eandem poteſtatem in miniſterio Evangelii inſtituit, ubi inquit: Sicut miſit me Pater: Ita & ego mitto vos. Johannis vigefimo capite. Item: Qui vos audit, me audit; Matthæi decimo capite.

Q U A R T U M.

Quibus peccata ſunt remittenda? Reſp.

Qui corde humili & credenti per JESUM Chriſtum gratiam & conſolationem expectant. Ut Chriſtus dicit Paralytico, Matth. 9. Confide fili, remittuntur tibi peccata tua. Et peccatrici contritæ Lucæ 8. Remiſſa ſunt tibi peccata tua: Fides tua te ſalvã fecit, Vade in pace.

Quibus peccata ſunt retinenda? Reſp.

Omnibus impœnitentibus & incredulis, qui in peccatis contumaciter perſeverant & omnes pias admonitiones contempnunt. Ut Chriſtus docet Matth, 18, Si peccaverit in te frater tuus, vade

vade & argue eum inter te & ipsum solum. Si te audierit, lucratus es fratrem tuum: Sin vero te non audierit, adhibe tecum adhuc unum aut duos: ut in ore duorum aut trium testium consistat omne verbum. Quod si non audierit eos dic Ecclesiæ. Quod si Ecclesiam non audierit, sit tibi veluti Ethnicus & publicanus.

QUO PACTO PÆDAGOGI SUOS PUEROS FORMAM BENEDICTIONIS, unam manè, alteram vesperi dicendam, simplicissimè docere debeant.

Manè cum surgis è lecto, signabis te signo sanctæ crucis dicens:

In nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, Amen.

Deindè innitens genibus, vel stans, dicas Symbolum & orationem Dominicam: Si vis, potes & hanc precatiunculam addere.

GRatias ago tibi mi Pater cœlestis, per Jesum Christum Filium tuum dilectum, quod me hac nocte ab omnibus incommodis ac periculis conservasti. Oro: ut velis me hac die quoque conservare à peccato & omnibus malis, ut tibi omnia mea facta, atque adeo tota vita beneplaceant. Quia ego me, meumque corpus & animam, & omnia in manus
tuas

tuas commendo? Tuus sanctus Angelus sit
mecum, ne Diabolus ullum jus in me repe-
riat, Amen.

*Postea alacriter ad tua studia tibi accedendum.
Vesperis cum conferes te cubitum, signabis te
signo sanctæ crucis dicens:*

In nomine Patris, & Filii, & Spiritus
Sancti, Amen.

*Deinadè innitens genibus vel stans, dicas Sym-
bolum & orationem Dominicam: Si vis, potes
hanc precatiunculam addere.*

Gratias ago tibi mi Pater cœlestis, per JE-
sum Christum Filium tuum dilectum,
quod me hoc die gratuitâ misericordiâ custo-
divisti. Oro te, ut velis mihi condonare om-
nia peccata mea, quæ injustè perpetravi,
velisque me hac nocte tuâ gratiâ benignè con-
servare. Quia ego me, meumque corpus, ani-
mam, ac omnia in manus tuas committo:
Tuus sanctus Angelus sit mecum, ne Diabo-
lus ullum jus in me reperiat, Amen.

*Atq; ita tandem securè & tranquillè
dormiendum.*

QUO PACTO PÆDAGOGI SUOS
Pueros Benedictionem Mensæ & gra-
tiarum actionem simplicissimè
docere debeant.

BENEDICTIO MENSÆ.

*Pueri debens complicatis manibus, modesti-
am præ se ferentes, ante mensam stare ac dicere.*

OCuli omnium in te sperant Domine, &
tu das escam illorum in tempore opportu-
no: Aperis tu manum tuam, & imples omne
animal benedictione. Gloria, &c.

SCHOLIA.

Benedictio significat hic, quod omne ani-
mal tantum cibi nanciscitur, ut propterea sit
lætum & hilari animo. Nam cura & avaritia
talem benedictionem impediunt.

*Deinde orationem Dominicam, cum ora-
tione sequenti.*

Domine DEUS Pater coelestis, benedic no-
bis & his donis tuis, quæ de tua largitate sumus
sumpturi, per JESUM Christum Dominum
nostrum, Amen.

GRATIARUM ACTIO.

*Sic quoque post cibum sumptum, debent ad
eundem modum modestè complicatis manibus
dicere.*

Confitemini Domino quoniam bonus,
quoniam in æternum misericordia ejus.
Qui dat escam omni carni, qui dat jumentis
escam ipsorum, & pullis corvorum invocan-
tibus eum. Non in fortitudine equi volunta-
tem

tem habebit, neque in tibiis viri beneplacitum erit ei. Beneplacitum est Domino super timentes eum, & in eis, qui sperant super misericordia ejus. Gloria Patri, & Filio, & Spiritui Sancto; sicut erat in principio, & nunc & semper & in secula seculorum, Amen.

Deinde orationem Dominicam, cum oratione sequenti.

Gratias agimus tibi Domine Deus Pater, per Jesum Christum Dominum nostrum, pro universis beneficiis tuis qui vivis & regnas in secula seculorum, Amen.

ELEGANTES QUÆDAM SCRIPTURÆ Sententiæ, pro omnibus sanctis ordinibus ac statibus, per quas illi tanquam propria quadam lectione, sui officii & muneris admonentur.

**EPISCOPI PAROCHIS ET CON-
CIONATORIBUS.**

Oportet igitur Episcopum irreprehensibilem esse, unius uxoris maritum, vigilantem, sobrium, modestum, hospitalem, aptum ad docendum, non violentum, non percussorem, non turpis lucri cupidum, sed æquum, alienum à pugnis, alienum ab avaritia, qui suæ domui bene præsit, qui liberos habeat in subjectione cū omni reverentia, non novatorem, &c. 1. ad Tim. 3. & ad Tit. 1. Quid

QUID DEBENT AUDITORES

Episcopis suis.

Dominus ordinavit his, qui Evangelium annunciant, de Evangelio vivere, 1 Cor. 9. Communicet Doctore omnibus bonis, is qui docetur verbo Gal. 6. Qui bene præsent, presbyteri, duplici honore digni habentur, maxime qui laborant in verbo & doctrina. Dicit enim Scriptura: Non alligabis os bovi trituranti: Et dignus est operarius mercede sua. Ipsi enim vigilant, quasi rationem pro animabus vestris reddituri, ut cum gaudio hoc faciant, & non gementes, hoc enim non expedit vobis, Hebr. 13.

DE MAGISTRATIBUS.

Omnis anima potestatibus supereminentibus subdita sit. Non enim est potestas nisi à Deo: quæ vero sunt potestates, à Deo ordinate sunt. Itaque quisquis resistit potestati, Dei ordinationi resistit: qui autem resistit, sibi ipsi iudicium accipiet. Non enim frustra gladium gestat. Nam Dei minister est, ultor ad iram ei, qui quod malum est fecerit. Rom. 13.

QUID SUBDITI MAGISTRATIBUS debeant.

Reddite quæ sunt Cæsaris, Cæsari, Matt. 22.
Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita

data sit. Ideoque necessitate subditi estote, non solum propter iram, sed etiam propter conscientiam.

Ideo enim & tributa præstatis. Ministri enim Dei sunt, in hoc ipsum servientes. Reddite ergo omnibus debita, cui tributum, tributum: Cui vectigal, vectigal: Cui honorem, honorem: Rom. 13. Adhortor primum omnium fieri obsecrationes, orationes, interpellationes, gratiarum actiones, pro omnibus hominibus, pro Regibus & omnibus qui in sublimitate constituti sunt, ut quietam & tranquillam vitam agamus cum omni pietate & gravitate, 1. Tim. 2. Admone illos, Principibus & potestatibus subditos esse, Tit. 3. Subditi estote omni humanæ creaturæ propter Dominum, sive Regi sive ministris tanquam ab eo missis &c. 1. Pet. 2.

MARITIS.

Viri similiter cohabitent cum uxoribus secundum scientiam veluti infirmiori vasi muliebri impertientes honorem, tanquam etiam coheredibus gratiæ, vitæ ne interrumpantur præses vestræ. 1. Pet. 5. Viri diligite uxores vestras & ne sitis amarulenti adversus illas ad Col. 3.

UXORIBUS

Similiter uxores subditæ sitis vestris viris

tanquam Domino, quemadmodum Sara obedivit Abraham, dominum illum appellans, cujus factæ estis filia, dum benefacitis & non terreamini ullo pavore. 1. Pet. 3.

PARENTIBUS.

Patres non provocetis ad iram liberos vestros: Sed educetis eos per eruditionem & correptionem Domini, Eph. 5.

LIBERIS.

Filii, obedite parentibus vestris in Domino, nam id justum est. Honora patrem tuum & matrem tuam. Quod est preceptum primum in promissione, ut bene tibi sit, & sis longævus in terra Ephe. 6.

*SERVIS, ANCILLIS, MERCENARIIS,
& cæteris ad laborem conductis*

Servi obedite ijs, qui Domini sunt juxta carmen cum timore ac tremore, simplicitate cordis vestri, tanquam Christo, non ad oculum servientes velut hominibus placere studentes, sed tanquam servi Christi, facientes quæ vult Deus ex animo, cum benevolentia servientes Domino & non hominibus. Illud scientes, quod unusquisque quod fecerit boni, hoc reportabit à Deo, sive servus fuerit, sive liber. Eph. 6.

PATRIBUS FAMILIAS ET

Matribus familias

Et

Et vos Domini eadem facite erga illos remittentes minas, scientes; quod & vester ipsorum Dominus est in cœlis, nec personæ respectus est apud illum, Eph. 6.

COMMUNI JUVENTUTI.

Similiter juniores subditi estote senioribus: Sic ut omnes alijs alii vicissim subjiciamini. Humilitatem animi vobis infixam habete, propterea quod Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam. Humiliemini igitur sub potenti manu Dei. 1. Pet. 3.

VIDUIS.

Porro quæ vera vidua est ac orbata viro, sperat in Deum & perseverat in observationibus ac precationibus noctu dieq; ; sed quæ in deliciis versatur, ea vivens mortua est, 1: Tim. 5.

OMNIBUS IN COMMUNI.

Dilige proximum tuum sicut te ipsum; in hoc sermone omnia præcepta summam comprehenduntur. Rom. 13. Et ante omnia fiant deprecationes, obsecrationes, interpellationes, gratiarum actiones pro omnibus hominibus, &c. 1. Tim. 2.

*Cuique sit imprimis magna sua lectio cura,
ut domus officiis stet bene recta suis.*

Ein jeder lehrn sein lection!

So wird es wol im hause ston!

ELEMENTA CHRISTIANÆ
RELIGIONIS SCRIPTA IN VER-
SICULOS per

JOHANNEM SAUROMANNUM.

DECEM PRÆCEPTA.

1.

Non aliena tuis venerabere numina votis.

2.

Sume Deique tui vanos nec nomen in usus,

3.

Septima sacra coles, opera feriatuſ ab omni.

4.

Semper honore tuos merito reverere parentes

5.

Non hominē quemquā crudeli morte necabis

6.

Alterius caveas, lectum temerare jugalem.

7.

Non furtum facies digitos cohibebis ab illo.

8.

Testis es accitus, nil attestabere falso.

9.

Nullius adfectes spacioſum tecta per orbe m.

10.

Alterius nuptam, ſervum, famulas & ſellos.

SYMBOLUM.

Credo pia nostrum ratione Deumq; Patremq;
 Omnia quem statuo Numine posse suo.
 Qui nitidis stellis clarum fabricavit Olympum.
 Cujus & est verbo terra creata pio.
 Credo quoq; in Christum simili pietate colendum.
 Unicus est nostri Filius ille DEI.
 Huic omnis Patrii est subiecta potentia regni:
 Qui regit arbitrio cuncta creata suo.
 Tempore praedicto fuerat conceptus in alvo
 Virgineâ, à Flatu Numinis ille sacro.
 Postmodò conceptum peperit purissima virgo,
 Quae Maria est certo nomine dicta suo.
 Quicquid erat passus sub iniquo multa Pilato,
 Praeside Judæi Caesareo populi.
 Affixusque cruci, miseranda morte necatus.
 More Palestino deinde sepultus humo.
 Interea vindex ad tartara cæcæ recessit.
 Jus adimens nigris imperiumque diis.
 Ter ubi præbuerat mundo sua lumina Titan,
 Surrexit propriis viribus ille suis.
 Stelligeras scanditq; domos; ubi Cunctipotentis
 Proximus ad dextram nunc sedet usq; Patris.
 Inde redibit ut & vivos vitæque carentes
 Judicet, inquirens quæ sit in orbe fides,
 Inde Dei Flatum credo spirabile Numen:
 Cujus alunt vitam Flamine cuncta suam.

Confiteor sanctos homines ceterumque piorum,
In quibus est veri cultus amorque DEI.
Quos, quod habent Jesu communia dogmata
Christi,

Communi dicunt nomine Christicolas.

Omnia per Christum fateor peccata remitti,
Omnibus his quibus est indubitata fides.

Credo quod hæc olim rursus caro nostra resurget:
Quodq; procul dubio vita perennis erit.

ORATIO DOMINICA.

CHare patres summi residens super æthera cæli
Clarescat sanctum nomen ubiq; tuum.

Adveniat magnum latè tua regna per orbem.

Nosque regat Sanctus Spiritus ille tuus.

Fiat & in terris itidem tua ritè voluntas,

Atque solet fieri sedibus æthereis.

Da nobis hodiè potumque cibumque salubrem,

Erudias verbo pectora nostra tuo.

Da veniam nostræ dimittens debita culpæ:

Nos siquidem facimus debita missa aliis.

Ne nos tam gravibus feriat tentatio curis,

Cogat ut his nostram succubuisse fidem.

Sed quæcunq; solent nostra contingere vita,

Omnibus eripias nos Pater, oro, malis.

DE SACRAMENTO

BAPTISMI.

Christus ad æthereas cum vellet scandere se
Dixit discipulis talia verba suis: (des,
Pergite ad extremas, ô vos mea viscera, gentes,
Cunctos doctrinam ritè docere meam.

Inque Patris Natig, & Elatus nomine sancti,
Mortales undis spontè lavare sacris.

Nam qui crediderit, lotusque erit amne salubri,
Hunc bona perpetuò, vita salusque beant.

Qui sine salvifica fuerit pietate fideque,
Hunc bona destituent, vita salusque simul.

DE SACRAMENTO ALTARIS.

Noctè Sacramentũ Dominus quã traditus hosti
Instituit, firmæ fœdus amicitia.

Accepit panem, gratesque ubi ritè peregit,
Discipulis tribuit, sic referendo, suis.

Hunc, caro namq, mea est credentes sumite panẽ,
Quomodo pro vobis morte necanda datur.

Hunc quoties editis memores benè clarã referte,
Ex æquo vitæ facta necisque meæ.

Sic ubi cœnavit, vini liquore repleta,
Apprendit manibus pocula deinde piis.

Utque Patri grates solida pietate peregit,
Porrexit sociis illa bibenda suis.

Atque ait, hoc jubeo cuncti simul inde bibatis,
Munera sunt veri sanguinis ista mei.

Quam

Quem modo pro vobis, crucifixo corpore fundā,
Quo sit peccati gratia cuique sui.
Hunc quoties bibitis, memores benèclarā referte
Ex equo vitæ facta necisque meæ.

BENEDICTIO MENSÆ.

His epulis donisque tuis benedicito Christe.
Ut foveant iussu corpora fessa tuo.
Non alit in fragili panis modo corpore vitam:
Sermo tuus vitæ tempora longa facit.

GRATIARUM ACTIO.

Postquā epulis exempta fames, mensæq; remota,
Dicemus grates nos tibi summe Pater.
Non hæc humanas vires alimenta iuvabunt,
Divinā si non hæc foveantur ope.
Namq; tuo vivunt vegetata à Numine cuncta,
Afflatu spirant cuncta valentque tuo.
Cumq; epulas dederis, rerum Pater optime nobis,
Adde epulis vires pro bonitate tua.
Nunc etiam gratis animis alimenta ministra,
Atque immortalis pectora pasce cibo.
Et quia cura sumus tua, nos Pater optime serva,
Et studia & vitæ tempora cuncta regens.

•••(O)••• •••(O)•••



In-

Institutio Puerorū tribus absolvitur par-
tibus, pietate, honestis moribus, & bona-
rum literarum studiis. De quibus singu-
lis sequuntur sententiolæ.

PIUS ESTO.

in genere
Pietas ad omnia utilis est, promissiones
habens & præsentis & futuræ vitæ; itaque
Te ipsum ad pietatem exerceto. *1 Tim 4:7.*
Est quæstus magnus pietas, & sua sorte
contentum esse.

Juveniles, cupiditates fuge; justitiam, fi-
dem, caritatem, pacem una cum iis, qui
Dominum sincero animo invocant, perse-
quere. *in specie 2 Tim 2:22.*

1. DEUM AMA.

In eo patuit Dei erga nos amor, quod Fi-
lium suum unigenitum misit Deus in
mundum, ut per eum vivamus.

Recordare JESUM Christum ex mortuis
excitatum. *2 Tim 2:8.*

Si quis Dominum JESUM CHRISTUM
non amat, esto detestabilis.

VERERE DOMINUM

Nam ei qui timet Dominum, bene erit in
extremis, & in die mortis suæ inveniet gratiã.

Cyn. 8:13.

L5

Ne

13 octobry

Ne time Fili mi, quod pauper sis: existunt tibi multa si timueris Deum & absteris ab omni peccato, fecerisque quod beneplaceat coram ipso.

MEDIA SUNT PRECES.

Continenter orate, in omni Deo gratias agite: nam ea est Dei de vobis, qui filii Jesu Christi, voluntas. *1 Thess. 5:17-18*

SCRUTINIUM S. S. e.

Scrutamini scripturas, quandoquidem in eis vos, aeternam habere vitam putatis, & ea sunt, quæ de me (Christo) testantur.

A Puero discendæ sunt sacrae literæ, quæ possunt erudire ad salutem per fidem Jesu Christo habendam. *2 Tim 3:15.*

SOLLICITA SUI OBSERVATIO.

Præ omni custodia, custodi cor tuum: ab illo enim sunt exitus vitæ. *Ps. 119:23.*

Scimus, quisquis ex Deo natus est, cum non peccare: nam ex Deo natus se ipsum servat, nec cum malus attingit.

Flecto mea genua ad Patrem. Domini nostri Jesu Christi, ex quo omnis & in cœlis & in Terra denominatur cognatio, ut pro sua gloriosa opulentia det nobis fortiter coroborari per suum spiritum in interiorum hominem. Quo habitet Christus

per

ANNO 1724

per fidem in nostris animis. & sumus in caritate radicati & fundati, ut comprehendere atque cognoscere valeamus, una cum sanctis omnibus, quam late longeque quam alte ac sublimē pateat, & quam omnem cognitionem excedat amor Christi, quo impleamini in omnem plenitudinem Dei: Ei vero, qui ea vi, quā viget in sanctis suis, potest omnia longē longeque copiosius facere, quam nos poscere aut cogitare, Ei, inquam, gloria in Ecclesia per Christum JESUM in omnem omnium seculorum perpetuitatem, Amen.

Vel brevius: Dominus vero nostros dirigat animos ad Divinam charitatem Christianamque patientiam.

Itaque JESUM omnes agnoscite, amorem ejus poscite, JESUM ardentē quærite, quærendo inardescite, & rursus: JESU mi bone sentiam, amoris tui copiam, da mihi per præsentiam, tuam videre gloriam.

// DE PIETATE LIBERORUM IN PARENTES.

Vos liberi obedite vestris parentibus in Domino: Id enim æquum est. Honora tuum Patrem atque Matrem, quod primum est cum

pro

Hennion Gravelin

promissione præceptum, quod tibi bene sit & vivas in terra diu. *Eph. 6:1.*

In opere & sermone honora Patrem tuum, ut superveniat tibi benedictio ab ipso. Et maledictus à Domino, qui ad iram provocat Matrem suam. Syr. 3:9.

Fili mi si mortuus fuero, sepeli me, & ne despicias Matrem tuam: Honora eam omnes dies vitæ tuæ, & fac quod placet ipsi, *neque tristitiâ afficias eam.* Memento Fili quod multa viderit pericula super te in utero.

DE OFFICIO JUNIORUM ERGA SUPERIORES.

Juniores *parete* senioribus, & omnes invicem obsequendo, modestiam complectimini: Nam Deus & superbis averfatur & modestorum fautor est.

Coram canitie *surges* & honorabis facies senis: Timebis enim tibi à Deo tuo. Ego Jehova.

Exemplum inobedientiæ in pueris Betheliceis Elisæum iridentibus, qui à duabus Ursis dilceruntur quadraginta numero: Historia hæc est: *Cum ascenderet Eliæus inde Betholem, ille erat ascensurus in viâ, cum pueri parvi ex-*
iverunt

iverunt ex urbe & illuserunt illi: dixeruntque illi: *Ascende calve, ascende calve, respexit vero viditque eos, ac maledixit illis in nomine Jehovah, exiveruntque itaque duæ ursæ & filida discerpseruntque de illis quadraginta & duos pueros.*

DE PIETATE DISCIPULORUM IN PRÆCEPTORES.

*PRÆCEPTORES UT PARENTES AMA
ET REVERERE,*

Parete Præceptoribus vestris, & obsequimini, nam ii pro animabus vestris vigilant, (penam reddituri) ut id cura læticia facta non gementes; nam id è re vestra non

Qui Præceptores suos contemnit, non hominem sed Deum contemnit.

DE MORIBUS IN DOMO.

Nemo parvi aestimet tempus, quod in verbis consumitur otiosis: scitote autem, quodcumque otiosum verbum locuti fuerint, homines reddituros esse ejus rationem, in die judicii, ex tuis enim dictis absolveris, & ex tuis dictis enim dam naberis.

Ob

Obscæne ne dixeris. nulla vitiosa oratio
ex ore vestro prodeat, sed si quæ bona est ad
instructionem, quæ sit opus, ut auditoribus
beneficium conferat. Neve sanctum Dei
Spiritum, contristate quo consignati estis
ad liberationis diem.

Domi Te officiosum præbe. omnibus
comis. Ne sis garrulus. Neminem læde.
Mensam cum tempus est consecra: Sumto
cibo DEO temper gratias ago. Cultus ad-
sit mundities. Ne prodeas in publicum
impexo capite.

Cibi & potus, quantum valétudini satia
est sumito. Moderato somno vitium
num auxilium in studiis invoce.

DE MORIBUS IN PLA

IN plateis modestum te gere. Mode-
stiam in eundo præ te ferto, nam ex ingre-
ssu prospicitur animi habitus.

In plateis non est vociferandum & liti-
gandum

Dimissus eum silentio domum repete.

Ne usquam restiteris. Latine semper &
ubique loquere.

Quibus debes honorem exhibe.

Honestos viros & mulieres præter
caput reverenter aperi.

DE MORIBUS IN LUDO LITE-
RARIO. *f. Schola.*

horam auditam in Scholam venien-
dum est.

Scholam assiduè frequenta.

Scholam ingressus in tuam decuriam statim te confer.

In Schola quietus sede, nec huc & illuc per sedilia discursites.

Quæ memoriter pronuncianda sunt, tacitus discere & repete.

In ludo turbas ne exites. neminem in sodalibus læde. Cave ne merito vapules. Præceptori te assiduum & attentum præbe. Ingenuus puer, absente Magistro & præsentem semper idem est. In absentia præceptoris virtus probatur discipuli. Nunquam ociosus esto. Omne tempus vacuum studiis periisse puta. Animum ab evagando cohibe.

Neminem injuria affice. Causam tuam defer ad Præceptorem Te ipsum non ulciscere. Neminem deferres odio.

Pauca loquere, multa audi. Sermonem ne præcipites, Verba

Verba clare & distincte proferenda sunt.
A mendacijs abhorre. Peccatum admissum
ne nega sed confitere & gratiam ejus petito.
Aliena furto ne auferas. Inventa libenter
restituere, tua ne jactes.

DE MORIBUS IN TEMPLO.

Templum, junctus alteri puero, ingreditor.
Ne strepitum pedibus excites, cum Tem-
plum ingrederis, vel illud exis. Ingressus ad
religionem te compone. Ausculta religiosè.
Nihil loquere astanti puero. Cum cantan-
dum est cane. Precinentem canendo le-
quere. Ad nomen JESU genus flecte. Aede-
sacra exiens, obvio puero te modeste con-
jungito. Ubi in ludum conventum asside
est & tace.

Sic cum JESU Sapientia & atate & gratia
tum apud Deum proficies tum a-
pud homines.

F I N I S.



Punctum

~~309~~ IX. 80.

Rev. Katakim. 2

